



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1655

§. 183. Chlamydem coccineam circumdederunt ei. v. 28.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

ipsam consideremus, verecundiam homini adducit ingenuo morte gravio-
rem. Hinc Adam & Eva, licet præter ipsos nemo adhuc in mundo foret, eru-
buere tamen, ob suam nuditatem: & consuerunt folia ficus & fecerunt sibi
perizomata, ne hoc contentus Adam, abscondit insuper se cum vocem Dei
audiret. Et hæc persona Christi infinite dignior est persona Adami, illa nimi-
rum est, quæ cælum stellis, terram floribus, aves pennis, pisces squammis,
quadrupeda pilis vestit, quique Virginum sanctarum & sanctorum ut Agae-
tis, Felicis in Pincis & aliorum pudicitiam miraculo sæpe texit, denique ij
coram quibus nudatur plurimi sunt, cohors videlicet integra gentilium, qui
circumcisis mirifice erant infens, & irrisores petulantes, ex quibus collige,
quanta verecundia virginea Christi mens affecta sit, & quam se Adam ille
secundus libenter occultasset, si qua ratione salvo opere redemptionis per-
se & istimæ potuisset. Grande spectaculum mundo & Angelis! hic enim om-
ni vestitu exuitur, qui omnia vestit, coram omnibus confunditur qui confu-
sionem nostram tegit, viris, pueris, mulieribus, senibus & iunioribus, consi-
derandus exponitur. Prò facinus! sed cur ita? ne in æternum nos confunde-
remur, id quod certo nobis futurum erat, nisi Christus pro nobis hanc de-
nudationem & confusionem sustinisset. ô quis tam ferreo iam pectore erit,
ut ista eum non emolliant! Dominus Iesus, Dominus dominantium erubescit
ad nuditatem suam, ita ut credam maximam ejus crucem fuisse nudita-
tem illam publicam, & tu, ô homo, creatura ipsius non erubescis? sapius re-
ipsummet denudare? lascivire coram Deo? Angelis? hominibus pro tua so-
lummodo libidine vel ostentatione corporis tui & membrorum ad illece-
bram.

Domine Rex & Pater cœlestis, nudus quidem egressus sum de utero
matris meæ, & nudus revertar ad terram tenebrosam & opertam mor-
tis caligine, & in nuditate gratiæ Dei concepit me mater mea. obsecro ta-
men hanc mihi condonari gratiam, ut nunquam nudus inveniatur, aspiciat
aut aspici velim, sed fugiam & erubescam verecundè & piè ad omnem nu-
ditatem, corporum omni tempore vitæ meæ, in memoriam tuæ nuditatis,
& si quomodo peccavi in hoc genere, tua nuditas & verecundia fiant regu-
mentum inverecundiæ meæ & absolutio peccati.

§. 183. *Chlamydem coccineam circumdederunt ei. v. 28.*

Postquã esset pius Iesus spoliatus omnibus & propriis vestibus, & nudus
tam crudeliter revinctus ad columnam, virgis, uncis, loris & catenis, laceratus,
ut pro homine vix agnosci posset, sed potius similis excoriatæ bestiæ videretur,
ut & ipsi carnifices confunderentur ob exercitam crudelitatem, præter
morem

morem Romanorum, ei coccineam chlamydem, quam forte sub leamno abjectam cujusdam militis Romani vilem, putidam & laceratam inveniabant, imposuerunt. erat autem chlamys vestis strictior & brevior pallio, quã milites super arma induebant, & erat purpurea, quo colore utebantur potissimum Reges & Imperatores Romani in augurabantur. Tali igitur ornatu contemptim induunt Christum, irridendo & per ludibrium subsannantes & illudentes: en, tu dixisti te Regem Iudæorum, accipe ergo ornatum Regium, ut ab omnibus Rex agnosci, & à nobis honorari queas, &c. Ecce homo rex tuus & Deus tuus quomodo illuditur pro te, & vilibus induitur, ut tuas coerceat pompas: Erubescere peccator eum vide, qui coram Deo factus & omnibus sanctis eius, qui totus in hoc incumbis, ut faccum tuum stercoreum & nidum vermium rebus pretiosis exornes, quando Dominus maiestatis tua causa contemptibili veste velut stolidus despicitur: an nescis Adamum primum parentum nostrorum vestitum à Deo fuisse in signum admissi peccati, & symbolum pœnitentiæ? sanè vestes nostræ sunt stigma peccati, perinde ut compedes & catenæ sunt symbola malefactorum, stulte igitur homo superbis in vestitu de quo erubescere deberes. In paradiso vestium usus non erat, quia nec erubescencia quæ orta est ex peccato: Hinc Deus tuus vilibus modo induitur ad confusionem, ut deleat peccatum tuum & pudorem. utere ergo honestis vestibus in operimentum, non ambitum; in pœnitentiam non in contemptum Dei, in necessitatem, non superfluitatem.

O Rex Regum & Dominus dominantium, qui vilibus vestibus circumdatis, ut meam vilitatem tegas, qui lacerata indueris Chlamyde, ut vulneratam animam meam servares, & absconderes in te. Ideo te agnosco & acclamo Regem cœli & terræ, non sicut Iudæi ironice, sed verè. Te adoro Regem cum tribus Magis, offerens cum iis aurum, sicut Regi magno, Thus sicut Deo vero, Myrrham sepulturæ: aurum scilicet animam meam cum omnibus suis potentiis ad, tibi perpetuò serviendum, quia illa plusquam aurum æstimata est in oculis tuis. Thus Merita passionis tuæ, & B. Virginis matris tuæ, & omnium electorum tuorum qui tibi placuerunt ab initio mundi Myrrham, corpus hoc mortale cum omnibus bonis terræ, quæ mihi concessisti. Reddo tibi creatori meo hæc omnia, teque adoro & glorifico sine fine in æternum.

§. 184. *Et plectentes coronam de spinis. v. 29.*

Ansam coronæ plectendæ dabat coccinea Chlamys, quæ circumdatus erat pius Dominus tanquam scenicus Rex, at qualis ea fuit corona? ex
auro